

1510 rant, irrumpens occasionem reliquis dedit, ut omnes una propugnatoribus dejectis in oppidum se inferrent. Hispani ab alia muri diruti parte idem & ipsi fecerunt, neque se a Gallis virtute superari permiserunt. Tormenta ejusmodi rotis erant imposita, ut ab extrema parte ad terram prona fieri, a priore in fastigium erigi nullo negotio possent ad pilas in sublime ejiciendas. ea sic aptata usui magnopere fuerunt. cædes est ab hostibus ingens atque indiscrete facta: tametsi etiam ex ipsis ceciderunt non sane pauci. Arx usque ad noctem defensa est. Sebastianum Naugerium oppidi præfectum, ab Hispano captum milite ignaro quisnam esset, cum ei pollicitus fuisset auri libram, uti se redimeret, daturum, Vascones eam rem improbantes interfecerunt. Arcis item præfectus cum centurionibus & militibus permultis interiiit. Hostium exercitus timore agrestes eorum finium ad millia duodecim Fossam Clodiam profugerunt: quibus ea civitas, uti poterat, e publica pecunia in victum est elargita.

Joannes Sfortia, qui Pisaurum obtinebat, illis diebus suo in oppido mortuus filium reliquit, quem Junipera Matthæi Teupoli civis Veneti filia uxor sex menses ante patris mortem pepererat. Galeatius frater nothus ex ejus testamento regnum administrandum iniit, literasque ad Senatum ea de re dedit. Hostes commeatus inopia prope coacti Monsilice abierunt Montanianum & Lemniacum versus, abeuntesque arcem incenderunt. Id incendium ab iis qui Patavii erant facile conspectum, eorum abitus indicium fuit. Monsilice capto, quod Julius missis in Ferrariensium fines suis copiis aliquot castella jam ceperat, Alfonsus cum Gallis equitibus CCC. præter suos, & Hispanis militibus non plurimis, & suis cum tormentis domum rediit ad bellum Julianum propulsandum. Et Chiriacus Burgius cum sexcentis militibus ex Apennini jugis vallibusque ad reipublicæ stipendia se se conferens Fossam Clodiam venerat. Patres sæpe consulti quisnam esset ad copiarum reipublicæ imperium præfectis reliquis ante-

*Julius pp.
Alfonso bel-
lum infert.*